



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCLVI. Curam Mundi & Carnis vitandam suadet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCLVI.

*Curam Mundi & Carnis vitandam
suadet. Matth. 6.*

PUNCTUM I. *Nemo potest duobus Dominis servire (præsertim si contraria jubeant, sicut DEVS, Mundus, & Caro) aut enim unum odio habebit, & alterum diligit; aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis DEO servire, & Mammonæ. Matth. 6. v. 24. Considera, si terrenus Dominus non admittit consortium alterius Domini, sed plenum & perfectum Dominium in Servum suum præterdit, & ab eo plenum ac perfectum servitium exigit; quanto magis DEVS, qui & Supremus, & Unus est Dominus, cui si totis viribus serviëris, nunquam condignum Servitium præstabis? Si autem nemo hominum id potest; quanto minus Religiosus potest duobus Dominis servire, qui se totum DEI Servituti mancipavit, & à quo talia Servitia exiguntur DEO exhibenda, quæ directè sunt contraria Mundo, & Carni? Unde his tam parùm potes servire, si DEO servis, quàm parùm potest coli DEVS simul & idola. Quemadmodum ergo Samuel 1. Reg. 7. v. 3. ad universam Domum Israël dixit: Si toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim, & Astaroth, & preparate corda vestra Domino, & servite ei soli. Sic si toto corde per ingressum Religionis conversus es ad Dominum, aufer Deos, & dominos alienos de medio cordis tui, Mundum & Carnem; & servito DEO soli.*

PUNCT. II. *Considera, non tantùm DEO soli,*

G 3

sed

sed totâ curâ ac studio serviendum esse, ita, ut præter hoc nihil aliud cures in mundo: *Ideo dico vobis, nolite solliciti sitis anime vestre, quid manducetis; neque corpori vestro, quid induamini. v. 25. Querite ergo primum Regnum DEI, & Iustitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. v. 33.* Quantomagis hac solâ curâ & solitudine Religiosus DEO serviat, cui de omnibus alijs rebus jam est provisum, & qui curas Familiæ & rerum omnium temporalium à se abiecit? De nulla ergo amplius re sollicitus sis, quàm ut DEO servias; ipse vicissim pro te sollicitus erit, quemadmodum S. Petrus Epist. 1. c. 5. v. 7. scribit, & monet: *Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Multo minus per curas à statu & munere tuo prorsus alienas, te à Servitio Divino impediri, aut distrahi sinas: *Nemo* (inquit S. Paul. 2. ad Timoth. 2. v. 4.) *militans DEO, implicat se negotijs secularibus: ut non placeat, cui se probavit.*

PUNCT. III. Considera, quòd extra curam Divini Servitij omnis alia cura sit inutilis, & solummodo animum affligat. Inutilitatem indicavit Christus, quando dixit: *Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Matth. 27. Ad fictionem insinuavit his verbis: *Nolite solliciti esse crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.* v. 34. Ut ergo ab hujusmodi inutilibus, & molestis curis liber sis, juvat præter necessaria nihil de hoc mundo appetere, in necessarijs DEO confidere, qui pro infinita Sapientia & Bonitate sua infallibiliter providebit. Ideo rursus ait Christus

v. 31. *Nolite solliciti esse &c. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.*

MED